Annunciatio B. Viginis dicitur; **Paaſt Maria pehw** (ad differentiam viſitationis Mariæ, quæ dicitur **heina Maria pehw.**) Hoc die ruſticæ tantum exhauriunt cereviſiæ, qvantum ſufficit faciei rubicundæ; qvod vocant **punnaſe johma**; arbitratæ faciem per totum annum ita appariturам.

Palmarum dies vocatur **Urba pehw**/ eò qvòd arbores germinent: **urwas** enim gemmam in ramis ſignificat.
Dicitur aliàs **Kannaſta pehw**/ à **kannatama leiden**/ propter ſecutam paſſionem Dominicam.

Reſurrectio Domini **Leehawotme Pôha**/ id eſt, carnis acceptio, quòd cœpére iterum carnem edere: quandoquidem ultimus Bacchanalium dies **Leehaheitti**/ i. e. carnis projectio audit; quòd ab iſto die carnem non comederunt.

Adſcenſio Domini **Suur Riſti pehw**/ magnæ crucis dies. Triduò enim antè, adeoq; ipſo die, crucibus prælatis proceſſiones inſtituebant ſolemnes.

D. Georgii dies **Jurri pehw.** Hic dies colitur à ruſticis religioſè, non ut orent; ſed ut non laborent: quia Georgius equorum Patronus ipſis fuit. Hac nocte tecta ſua ſcandunt, aſcendentem in ſylvâ fumum viſuri, ut luporum nidos obſervent, eorumq; catulos rapiant.

Feſtum Pentecoſtes **Suiwaſte Pôha** æſti-
vale

vale feſtum, ut nativitas Domini **Talweſte Pôha** hyemale feſtum, antonomaſticè. Aliàs **nelli pôha**/ à numero feſtorum magnorum.

Feſtum Johannis, **Jaani pehw**/ vel **Riſti Jaani pehw**/ ob baptiſmum Chriſto per Johannem collatum.

Viſitatio B. Virginis **heina Maria pehw**/ qvòd incidat tempus colligendi fœni. Alij dicunt **punnane Maria pehw**/ i. e. rubræ Mariæ dies, quia hoc tempore colligitur herba & radix quædam, quâ ruſtici pannum tingunt rubro colore.

Laurentij dies **Lauritze pehw**; Erat enim ipſis Laurentius Patronus ignis. Hinc ruſtici, quorum domos Vulcanus abſumſit, eleemoſynas colligunt **Lauritze perraſt**/ propter Laurentium; non propter DEum.

Animarum dies **hinge pehw.** Hic ijs eſt ſolennis. Hôc enim cibum & potum animabus demortuorum apponere ſolent in balneis ſuis, quaſi illæ ijs indigeant.

S. Catharinæ **Kadrina pehw.** Erat Catharina Patrona ovicularum.

S. Nicolai **Niggola pehw.** Nicolaus enim quaſi Patronus boum maximè invocari ipſis ſolitus eſt, cùm tauri caſtrarentur.

S. Thomæ **Thooma pehw.** Ille erat Patronus contra peſtem: unde dicunt/ **Thoomæ kangke keſſi**/ i.e. Thomæ dura manus. Item **Thomas ei puttub**/ non tangit.

Manuductio ad Linguam Oesthonicam..., 1660, lk. 61